

beat, utpote non dissuadendo, non vetando, non puniendo, non subtrahendo media & Instrumenta, & qui sunt alii hujus intentionis modi. *Intentio indirecta dicitur, cum quis actu voluntatis effectum non expetit, sciens tamen aliquid ad ipsum confert, adeoque perinde se gerit, ac si eum expeteret.* Et hujus etiam duo sunt modi (1) Positivus, cum quis aliquid appetit, ex quo aliquo modo novit effectum sequi. (2.) Negativus, si quis effectum non impediatur, cum possit & debeat. Ad priorem modum non equidem expresse requiritur, ut inter ipsius actionem & effectum necessaria sit con- xio, si modo non casu & forte fortuna contingat, sic qui probris & contumeliis aliquem proscindit, retorsionem conviti- rum atque injuriarum indirecte intendit, sic Digladiator sui per- cussionem, si obtingit per indirectum intendit, licet enim hi effe- ctus non super concomitantur praevias suas actiones, periculum tamen subest, ne sequantur. Ad posteriorem modum potissimum requiritur, ut effectum fieri aut futurum, aut saltem ne fiat, peri- culum esse norit. Sic si cuiquam quis insidiatur, & tamen ille non ignorat, insidiatorem sibi struere insidias, licet non certo sci- at se capturum hisce insidiarum laqueis, si non praevenit, suae cla- dis iuste causa moralis vocatur. Observandum tamen est asser- tionem hanc de Indirecta intentione cum grano salis & limitatio- ne quadam esse acceptandam, dum is dicitur indirecta intencio- ne effectum intendere, non quod agat, ex quo novit ipsum sequi, sed qui illicito facto eundem provocat, aut id agit, a quo abstinere debebat, ne hujusmodi sequeretur effectus, alias enim, nisi pro- be observaretur haec limitatio, blasphemias erga Deum Opt. Max. eructaremus, quippe qui etiam nonnunquam facit aliquid, ex quo novit sequi peccatum, sic Protoplastis fructus arboris sci- entiae bonae & malae comestionem vetuit, quamvis praesciverit, legem hanc sancitam iri ab ipsis violatum. Quoniam autem eosdem facto illicito non ad peccatum irritavit, nec rogando hanc legem, quidquam peregit, a quo abstinere debuisse, falso lapsus & perniciei, nec non status corruptionis, imò non sine in- signi blasphemia Causa Moralitatis nuncupatur. Haec Intentio alias appellari quoque solet Electio. Etsi enim Moralitatis aliqua- tenus ea distinguant, in praesenti tamen aequivalent, adeo ut li- berum